

Tum quidem culpam confessus, peccatum hoc esse, dixit, gravitate reliqua, a se commissa, superans, spem se habere in Dei bonitate positam. Atque sic, acta poenitentia, decessit. vid. Minister. Tripol. in Prüf. des Geist. Praetor. in Praet. nec non in der Abg. Lehr- und Schutz-Schr. P. I. c. I. § 40. p. 151.

§. XVII. Nemini, nisi omnium rerum experti, ignotum esse puto *EVAE BUTLERIAE* nomen. Non potest non unumquemque horror perfundere, qui foeminae huius, Fanaticismo penitus ebriae, actiones & dogmata perpendit. Duos habebat viros, Iustum Godofredum Winterum, nec non Georg. Appenfellerum, cum quibus ipsa Trinitatem repraesentabat. Exigebat a suis venerationem, soli Deo propriam, quam eidem, in solio cum viris sedenti, praestare tenebantur. Quotquot in hanc suscipi volebant societatem, illi commiscere sese cum hac Trinitate debebant. Dicebant enim tum unionem fieri cum Christo, si commixtio & unio fiat cum membris, in quibus ille est, quaeque caro de carne eius sunt. Hinc viri cum Eva, foeminae cum Wintero, & Appenfellero, consvescebant. Ne autem illa consuetudo speciem venereae libidinis haberet, immixtis in uterum manibus, (proh pudor!) ovaria conterebant. Mitto alia, quae copiosius recensentur, in plagulis Germanice A. clo lccc VII. editis: *Ausführl. Beschreibung des neuen Uoflags*. His ut fidem habeamus, facile persuademur mandato, quo a Comite Witgensteinensi comparere in iudicio iussa est, quodque I. F. Mayerus inseri curavit Dissertationi, de *Nova atque abominanda Pietistarum Trinitate*. Non defuit quidem Magistratus suo officio, sed callida foemina effractis, in quae coniecta erat, vinculis, plus simplici vice, aufragit, erupit, evasit. Tandem in Holfatiam se contulit, & per aliquod temporis spatium Fridericopoli commorata est. Inde Alronaviam delata, errores suos agnoscere cepit, nostraeque inseri Ecclesiae voluit. Meditatur fidei confessionem, quae num lucem iam aspexerit, ignoro. Faxit Deus, ingenua sit, & sincera ista Palinodia. Ipsa interim Butleria, duodecimo, a morte Mariti, mense, prolem enixa est, quam dum pro legitima venditat, animum sane haud prodit, de peccatis, pro eo, ac par e^o, dolentem. Est quidem Medicus, cuius se quam maxime tuc-

C

tur